



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 103. Certamen inter Legatos de loco magis honorato

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

§. CIII.

Sæcul. XV.  
A. C. 1459.*Certamen inter Legatos de loco  
magis honorato.*

Suborta est in hoc Conventu Regum inter & Ducum Oratores de sedendi prærogativa contentio; nec enim Reges Regibus, nec Duces Ducibus cedere locum, sed sibi quisque in confessu primum arrogare verbis nutibusque contendebant. Papa litem compositurus, Decretum edidit, quo declaratum, *per quemvis sive dignorem, sive minus dignum locum, quem toto durante conventu inter eundum, standum, aut sedendum Oratores tenuerint, principalibus Dominis nullum prorsus aut præjudicium fieri, aut prærogativam acquiri.* Nec tamen hoc pacto contendentium animi penitus placati, Nec ordo Episcorum Romanæ Curiæ consuetudinem, quæ Notarios Apostolicos inter Episcopos collocabat, æquo ferebat animo. Ex altera vero parte Notarii ex sacrationi lege, quæ sine scandalo haud immutari posset, sibi prælationis concessæ jura deberi contendebant. Ast Pius Papa Episcopali eminentiæ deferens, speratis Notariorum querelis decidit, ex quadam corruptela, non autem legitima consuetudine fuisse introductum, quod Notarii Episcopis intermixti sedissent, id-

P p 4 que

Sæcul. XV. que Papa deinceps fieri prohibuit, &  
 A. C. 1459. hanc in rem die trigesima prjma Maji  
 Mantuæ Constitutionem edidit (\*),  
 quam totus ferme orbis cum applausu  
 accepit, & ipsi quoque Notarii tandem  
 legem hanc vel inviti receperunt. Præ-  
 cessit hæc Bulla Decretum de sedendi  
 prærogativa, quod nonnisi die decima  
 quinta Mensis Augusti promulgatum fuit.

## §. CIV.

*Sessio I. Conventus Mantuani.*

Omnibus hisce controversiis tandem ex  
 sententia compositis, prima hujus  
 Conventus Sessio ad diem nonam Se-  
 ptembris indicebatur, ut appareat ex Pii II.  
 literis ad Joannem Carvajalum in Hun-  
 garia Legatum pridie datis, in quibus  
 Papa præstitutæ hujus diei rationem ex-  
 ponens, inquit: *ad sunt enim ex omnibus*  
*ferme Christi fidelium nationibus, & ex*  
*tota Italia Oratores, conventurosque ante*  
*medium præsentem mensem Mediolani, &*  
Collect. Conc. *Mutinæ Duces speramus; ex Gallia quoque*  
P. Labb. *& Anglia, & Britannia solennes Legatio-*  
tom. 13. *nes propediem aderunt.*

## §. CV.

(\*). Exstat Bulla tom. 2. Pii II. Constitut.